

The Digital *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://compendium-project.wlu.ca>)

68 quotations attributed to Gualterius de Castellione in the *Compendium moralium notabilium*  
(from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 1, Liber 1, Rubrica 4: De munere diuino (fol.2ra)

Gualterius de castellione libro 2. **Parcite victores ingrati uiuere summo victori vires:**  
**sceptrum diadema triumphus: diuicias dare qui potuit auferre valebit.**

Parcite, uictores, ingrati uiuere summo / Victori. uires sceptrum diadema tryumphos /  
Diuicias dare qui potuit, auferre ualebit.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, p.62, ll.542-544).

Pars 1, Liber 1, Rubrica 24: De vanitate mundi et hominis et humanorum bonorum (fol.9ra)

Gualterius de castellatione libro 8. **Quam friuola gloria rerum. Quam mundi fugitiuus honor quam nomen inane.**<sup>1</sup> Libro 10. et finali. **Ecce repentine modice occasio febris. Dissoluit toto quecumque parauimus euo. Magnus in exemplo est cui non suffecerat orbis. Sufficit excissa de fosso marmore petra. Quinque pedum fabrica domus: qua nobile corpus exigua requieuit humo.**

1. Princeps militiae factus ductorque cohortis / Parmenione satus, modico post tempore lapsus, / Scandere dum querit, fato dampnatus et exul / Obruitur saxis. certat simul omnis in unum / Voluere saxa manus, cuius manus ante mouendi / Castra dabat signum. quam friuola gloria rerum, / Quam mundi fugitiuus honor, quam nomen inane!

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.214, ll.327-333).

2. Cumque per Alpinas hiemes turbamque latronum / Romuleas arces et auare menia Rome / Cernere solliciti, si cursu forte beato / Ad natale solum patriumque reuertimur orbem, / Ecce repentinae modicaeque occasio febris / Dissoluit toto quecumque parauimus euo. / Magnus in exemplo est. cui non suffecerat orbis, / Sufficit exciso defossa marmore terra / Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus / Exigua requieuit humo donec Tholomeus, / Cui legis Egyptum in partem cessisse, uerendi / Depositum fati toto uenerabile mundo / Transtulit ad dictam de nomine principis urbem.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 10 (M.L. Colker ed., 1978, p.273, ll.442-454).

Pars 1, Liber 1, Rubrica 42: De falsis opinionibus contrariis christiane religionis cognoscendis et  
damnandis in libris visualibus christianorum (fol. 14ra)

Gualterius de castellione libro 3. **Fatorum stat ineuitabilis ordo. Euentusque hominum series immobilis artat.**

Sed quia fatorum stat ineuitabilis ordo / Euentusque hominum series immobilis artat, /  
Errauit temulenta manus, ferroque perire / Non patitur Lachesis, cui iam fatale uenenum /  
Confectumque diu Lethea fece uitrina / Pixide condierat, mediante fauore suorum /  
Porrectura duci dea post duo lustra bibendum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 3 (M.L. Colker ed., 1978, p.81, ll.352-358).

Pars 1, Liber 2, Rubrica 1: De bono et malo (fol.15va)

Gualterius de castellione libro 3. circa medium. **Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu.**

Hec Dario medicina mali. sic pene malorum / Omnia cum quodam ueniunt incommoda fructu.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 3 (M.L. Colker ed., 1978, p.77, ll.272-273).

Pars 1, Liber 2, Rubrica 3: De virtutibus et vitiis (fol.16vb)

Gualterius de castellione libro i. **Quem virtus extollit habet quod preferat auro.**

Quem uero morum non rerum copia ditat, / Quem uirtus extollit, habet quod preferat auro, / Quod patriae uicum redimat, quod conferat illi / Et genus et formam. uirtus non queritur extra / Non eget exterius qui moribus intus habundat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.12, ll.99-103).

Pars 1, Liber 3, Rubrica 12: De facilitate et difficultate (fol.22rb)

Gualterius de castellione alexandreidos 8. libro. **O quam difficile visu sors prouehit actus.**  
**Lubrica mortales: et quos ascendere fecit: Quam facile euertit: magno fortuna labore.**

O quam difficili nisu sors prouehit actus / Lubrica mortales, et quos ascendere fecit, /  
Quam facile euertit! magno fortuna labore / Fecerat excelsum media de gente Phylotam.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.214, ll.323-326).

Pars 2, Liber 1, Rubrica 13: De culpa et excusatione (fol.29va)

Gualterius de castellione libro 3. **Uis illata leuat minuitque coactio culpam.**

Itur in amplexus nuptarum, uirginitasque / Vim patitur. coit in patulo tractatque pudenda /  
Sanguinolenta manus. coitus pars altera labem / Contrahit incestus, uerum pars altera  
luget / Et uenit ad ueniam, pacientis namque reatum / Vis illata leuat, minuitque coactio  
culpam.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 3 (M.L. Colker ed., 1978, p.75, ll.228-233).

Pars 2, Liber 2, Rubrica 8: De simplicitate seu prauitate et multiplicitate animi (fol.34vb)

Gualterius de castellione libro 7. **Prosit / Simplicitas iusto: noceatque nocentia sonti.**

Sed si iusticiae cultor, si iura secutus / Nil egi nisi quod rationis litera dictat / In quantum natura sinit petulansque nocie / Conditio carnis, gladios remouete clientum / A domini iugulo: prosit uixisse per euum / Innocue Darium, mors conuertatur in illos / Qui meruere mori, liceat michi uiuere, prosit / Simplicitas iusto, noceatque nocentia sonti.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 7 (M.L. Colker ed., 1978, pp.173-4, ll.43-50).

Pars 2, Liber 3, Rubrica 2: De pietate (fol.37rb)

Gualterius de castellione libro 4. **Que rara tyrannis / Semper inest fregit pietas generosa rigorem.**

Et lacrimis quales Darius fudisset obortis / Exiit in planctum iuuenis. iam cana senectus /  
Funeris assedit loculo, et que rara tirannis / Semper inest fregit pietas generosa rigorem /  
Principis indomiti lacrimasque extorsit ab hoste.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 4 (M.L. Colker ed., 1978, p.91, ll.14-18).

Pars 2, Liber 3, Rubrica 8: De amicitia vera et amicis veris (fol.40vb)

Gualterius de castellione libro 6. **Quem fastidit homo non vere diligit ille. / Uerus amor miserum: qui non fastidit amicum.**

Quem fastidit homo non uere diligit. ille / Verus amor miserum qui non fastidit amicum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, p.157, ll.239-240).

Pars 2, Liber 3, Rubrica 9: De amicis leibus verbalibus fictis et non veris (fol.41ra)

Gualterius de castellione libro 9. et penultimo. **Testatur eorum / Finis: amicicias regum non esse perhennes.**

Vltima terribiles Macedum sensura tumultus / India restabat multo sudore domanda / Et  
grauibus bellis. quam dum petit ille deorum / Emulus in terris, Clytus Ermolaus et eius /  
Doctor, Aristotili preter quem nemo secundus, / Extremum clausere diem, documenta  
futuris / Certa relinquentes: etenim testatur eorum / Finis amicicias regum non esse  
perhennes.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, p.225, ll.1-8).

Pars 2, Liber 4, Rubrica 6: De susurratione et seminatione discordiarum (fol.44vb)

Gualterius de castellione libro i. **Consultor procerum seruos contemne bilingues.**

Materiam uirtutis habes, rem profer in actum; / Quoque modo id possis, aurem huc  
aduerte, docebo: / 'Consultor procerum seruos contempne bilingues / Et nequam, nec  
quos humiles natura iacere / Precipit exalta, nam qui pluuialibus undis / Intumuit torrens,  
fluit acrior amne perhenni.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.11, ll.83-88).

Pars 2, Liber 5, Rubrica 1: De petitionibus et rogationibus beneficiorum: et exauditionibus vel de negationibus (fol.47rb)

Gualterius de castellione libro 6. **Repulsam / Ex merito patitur: qui postulat vltterius quam / Promeruit: spes quam meritum non preuenit a spe / Deuiat: et verum dat ei presumptio nomen.**

Victorem qua fronte rogem captiuam? repulsam / Ex merito patitur qui postulat ulterius quam / Promeruit. spes, quam meritum non preuenit, a spe / Deuiat, et uerum dat ei presumptio nomen.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, pp.151-2, ll.124-127).

Pars 2, Liber 5, Rubrica 3: De liberalitate et munificentia (fol.49ra)

Gualterius de castellione libro i. **Unge animos donis: aurique appone liquorem. / Hec egre  
menti poterit medicina mederi. / Sic inopi diues: largusque medetur auaro. / At si forte  
animo: res non respondeat alto: / Copia si desit: vel si minuatur aceruuus: / Non minuatur  
amor: nec desit copia mentis. / Allice pollicitis: promissaque tempore solue.**

‘Cumque uel intraris uictis tradentibus urbem, / Vel, si restiterint, portas perfregeris urbis,  
/ Thesauros aperi, plue donatiua maniplis, / Vulneribus crudis et corde tumentibus egro /  
Muneris infundas oleum, gazisque reclusis / Vnge animos donis, aurique appone  
liquorem. / Hec egrae menti poterit medicina mederi. / Sic inopi diues largusque medetur  
auaro. / At si forte animo res non respondeat alto, / Copia si desit uel si minuatur aceruuus,  
/ Non minuatur amor, non desit copia mentis. / Allice pollicitis promissaque tempore  
solute.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, pp.14-15, ll.144-155).

Pars 2, Liber 5, Rubrica 6: De vtilitate oblationis munerum et beneficiorum (fol.49vb)

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. **Munus enim confert mores: inuectit auaros / Occultat vitium: genus auget: subiicit hostem. / Non opus est vallo: quos dextera dapsilis ambit. / Nam seu pax vigeat: seu rupto federe pacis / Regnet: et in toto discordia seuiat orbe. / Principibus dubiis: subitumque timentibus hostem. / Est dare pro muro: et solidi muniminis instar.**

Munus enim mores confert, irretit auaros, / Occultat uicum, genus auget, subicit hostem.  
/ Non opus est uallo quos dextera dapsilis ambit. / Nam seu pax uigeat seu rupto federe pacis / Regnet et in toto discordia seuiat orbe, / Principibus dubiis subitumque timentibus hostem, / Est dare pro muro et solidi muniminis instar.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.15, ll.156-162).

Pars 2, Liber 5, Rubrica 7: De nocumento susceptionis munerum et beneficiorum (fol.50rb)

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. **Munus enim a norma recti distorquet acumen / Iudicis: et tetra voluit caligine mentem.**

Munus enim a norma recti distorquet acumen / Iudicis et tetra inuoluit caligine mentem.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.13, ll.109-110).

Pars 2, Liber 6, Rubrica 3: De principibus: ducibus et regibus (fol.55rb)

Gualterius de castellione libro i. **Parce humili: facilis oranti: frange superbum.<sup>1</sup> / Non murus non arma ducem tutantur auarum.<sup>2</sup> / Instabile est regnum: quod non clementia firmat.<sup>3</sup>** Libro 9. et penultimo. **Testantur eorum / Finis amicicias regum non esse perennes.<sup>4</sup>**

1. Parce humili, facilis oranti frange superbum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.13, l.115).

2. Non murus non arma ducem tutantur auarum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.15, l.163).

3. Instabile est regnum quod non clementia firmat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.24, l.342).

4. Vltima terribiles Macedum sensura tumultus / India restabat multo sudore domanda / Et graibus bellis. quam dum petit ille deorum / Emulus in terris, Clytus Ermolaus et eius / Doctor, Aristotili preter quem nemo secundus, / Extremum clausere diem, documenta futuris / Certa relinquentes: etenim testatur eorum / Finis amicicias regum non esse perennes.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, p.225, ll.1-8).

Pars 2, Liber 6, Rubrica 5: De tyrannide et tyranno (fol.55vb)

Gualterius de castellione libro 4. **Que rara tyrannis / Semper inest: fregit pietas generosa rigorem.**

Et lacrimis quales Darius fudisset obortis / Exiit in planctum iuuenis. iam cana senectus /  
Funeris assedit loculo, et que rara tirannis / Semper inest fregit pietas generosa rigorem /  
Principis indomiti lacrimasque extorsit ab hoste.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 4 (M.L. Colker ed., 1978, p.91, ll.14-18).

Pars 2, Liber 6, Rubrica 8: De iudicibus et iudiciis (fol.57va)

Gualterius de castellione libro i. **Si lis inciderit: te iudice dirige libram / Iudicii: nec flectat amor: nec munera palpent / Nec moueat stabilem persone acceptio mentem. / Cum semel obtinuit vitiorum mater in aula / Pestis auaricie: que sola incarcerat omnes / Uirtutum species: spreto moderamine iuris. / Curritur in facinus: nec leges curia curat.**

'Si lis inciderit te iudice, dirige libram / Iudicii. nec flectat amor nec munera palpent /  
Nec moueat stabilem personae acceptio mentem. / Muneris arguitur accepti censor  
iniquus. / Munus enim a norma recti distorquet acumen / Iudicis et tetra inuoluit caligine  
mentem. / Cum semel obtinuit uiciorum mater in aula / Pestis auaritiae, que sola  
incarcerat omnes / Virtutum species, spreto moderamine iuris / Curritur in facinus, nec  
leges curia curat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, pp.12-13, ll.105-114).

Pars 2, Liber 6, Rubrica 9: De placiditate et ferocitate regis et iudicis (fol.57vb)

Gualterius de castellione libro i. **Ciuiliter argue sontes.**

Diuinos rimare apices, mansuesce rogatus, / Legibus insuda, ciuiliter argue sontes, /  
Vindictam differ donec pertranseat ira, / Nec meminisse uelis odii post uerbera. si sic /  
Vixeris, eternum extendes in secula nomen.'

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.16, ll.179-183).

Pars 3, Liber 1, Rubrica 10: De coniectura morum per aspectum et gestum (fol.63rb)

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. **O quam difficile est studium: non perdere vultu.**

O quam difficile est studium non prodere uultu!

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.10, l.63).

Pars 3, Liber 2, Rubrica 7: De principii qualitate: et principio considerandis (n.p. fol.4vb)

Gualterius de castellione libro 7. **Parua solet magnis causam prestare ruinis. / Cum neglecta fuit modica scintilla lucere.**

Parua solet magnis causam prestare ruinis, / Cum neglecta fuit, modicae scintilla lucernae.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 7 (M.L. Colker ed., 1978, p.196, ll.511-512).

Pars 3, Liber 2, Rubrica 13: De cautione securitate et periculo (n.p. fol.6va)

Gualterius de castellione libro i. **Non murus non arma: ducem tutantur auarum.**<sup>1</sup> Libro 7.  
**Tutior vt maneas hostis nil est quod inhoneste / Despicias tute: fit quem neglexeris ille: / Fortior hoc ipso multoque valentior hostis.**<sup>2</sup>

1. Non murus non arma ducem tutantur auarum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.15, l.163).

2. Tutior ut maneas hostis, nichil est quod in hoste / Despicias tuto. fit quem neglexeris ille / Fortior hoc ipso multoque ualentior hostis.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 7 (M.L. Colker ed., 1978, p.196, ll.513-515).

Pars 3, Liber 4, Rubrica 8: De labore oportuno et torpore seu mollitie (fol.74rb)

Gualterius de castellione libro 10. et finali. **Uincit. Cuncta labor.**

Me duce nulla meis tellus erit inuia. uincit / Cuncta labor. nichil est inuestigabile forti.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 10 (M.L. Colker ed., 1978, p.267, ll.318-319).

Pars 4, Liber 1, Rubrica 3: De modo exigentie cuiuscumque proportionalitatis seu conformitatis (fol.86vb)

Gualterius de castellione libro 10. et finali. **Sic se conformet meritis cuiusque gethea: / Ut qui deliquit leuius: leuioribus ille / Subiaceat penis: et qui grauiore reatu / Excessit grauius: grauiorem sentiat ignem.**

Sic se conformat meritis cuiusque Iehenna / Vt qui deliquit leuius, leuioribus ille /  
Subiaceat penis, et qui grauiore reatu / Excessit grauius, grauiorem sentiat ignem.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 10 (M.L. Colker ed., 1978, p.256, ll.64-67).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 2: De paupertatis proficuo et molestia ac illaudatione diuitiarum  
(fol.91ra)

Gualterius de castellione libro i. **Nam si vera loquor auferre pecunia mores: / Non afferre solet.**<sup>1</sup> Libro 8. **Quanto tibi plura parasti: / Tanto plura petis: et habendis acrius ardes.**<sup>2</sup>

1. Nam si uera loquar, auferre pecunia mores / Non afferre solet; etenim inter cetera noctis / Monstriparae monstro nichil est corruptius isto.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.12, ll.96-98).

2. Quid tibi diuiciis opus est, que semper auaro / Esuriem pariunt? quanto tibi plura parasti, / Tanto plura petis et habendis acrius ardes.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.219, ll.428-430).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 11: De tranquillitate et inquietudine animi circa diuitias et paupertatem (fol.93va)

Gualterius de castellione libro 8. **Contentum esse suis alienum nolle beatum / Efficiunt. igitur si quid quesiuferis vltra / Excedunt tua vota modum finemque beati.**

Esse sui iuris hominem, sua seque tueri, / Contentum esse suis, alienum nolle, beatum /  
Efficiunt. igitur si quid quesiuferis ultra, / Excedunt tua uota modum finemque beati.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.218, ll.412-415).

Pars 4, Liber 2, Rubrica 14: De auaritia cupiditate pecunie (fol.95ra)

Gualterius de castellione libro i. **Non murus non arma ducem vitantur auarum.**<sup>1</sup> Libro 8. et antepenultimo. **Quid tibi diuiciis opus est: que semper auaro / Esuriem pariunt: quanto tibi plura parasti: / Tanto plura cupis et habendis acrius ardes. / Sicque famem faciens defectum copia mittit.**<sup>2</sup>

1. Non murus non arma ducem tutantur auarum.

Gualterius de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.15, l.163).

2. Quid tibi diuiciis opus est, que semper auaro / Esuriem pariunt? quanto tibi plura parasti. / Tanto plura petis et habendis acrius ardes. Sicque famem sacies. defectum copia nutrit.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.219, ll.428-431).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 2: De imperio et potestate et dominatione priuatorum (fol.97rb)

Gualterius de castellione libro i. **Qui pluuialibus vndis incurrunt torrens fluit acrior amne perenni. / Sic partis opibus et honoris culmine seruus. / In dominum surgens truculentior aspide surda / Obturat precibus aures: et mansuescere nescit.**

Materiam uirtutis habes, rem profer in actum; / Quoque modo id possis, aurem huc aduerte, docebo: / 'Consultor procerum seruos contempne bilingues / Et nequam, nec quos humiles natura iacere / Precipit exalta, nam qui pluuialibus undis / Intumuit torrens, fluit acrior amne perhenni. / Sic partis opibus et honoris culmine seruus / In dominum surgens, truculentior aspide surda, / Obturat precibus aures, mansuescere nescit.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, pp.11-12, ll.83-91).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 3: De humilitate: seu mititate superbia elatione et fastu (fol.98ra)

Gualterius de castellione libro 2. **Parcite mortales animos extollere fastu. / Collatis opibus: aspernarique minores.**

Parcite, mortales, animos extollere fastu / Collatis opibus aspernarique minores.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, p.62, ll.540-541).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 9: De libertate et seruitute dominis et seruis (fol.100ra)

Gualterius de castellione libro 8. **Esse tibi caue ne credas quos vincis amicos / Anteferet stellas tellus septemque triones. / Abluet oceanus et siccum piscis amabit. Quam serui ad dominum sit veri nexus amoris / Inter eos nulla est concordia: nam licet extra / Pax pretendatur: odio configlitur intus / Pacem vultus habet: agitant precordia bellum.**

Esse tibi caue ne credas quos uincis amicos. / Ante feret stellas tellus Septemque Triones  
/ Abluet Oceanus et siccum piscis amabit / Quam serui ad dominum sit ueri nexus amoris.  
/ Inter eos nulla est concordia. nam licet extra / Pax pretendatur, odio configlitur intus. /  
Pacem uultus habet, agitant precordia bellum.'

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.221, ll.470-476).

Pars 4, Liber 3, Rubrica 11: De nobilitate et ignobilitate (fol.100vb)

Gualterius de castellione libro i. **Uirtus non queritur extra. / Non eget externis qui moribus intus abundat. / Nobilitas sola est: animum que moribus ornat.**

Quem uero morum non rerum copia ditat, / Quem uirtus extollit, habet quod preferat auro, / Quod patriae uicium redimat, quod conferat illi / Et genus et formam. uirtus non queritur extra / Non eget exterius qui moribus intus habundat. / Nobilitas sola est animum que moribus ornat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.12, ll.99-104).

Pars 4, Liber 4, Rubrica 9: De ludo et requie seu ocio laudabili (fol.106va)

Gualterius de castellione capitulo i. **Nam vehemens studii nati elabor afficit artus.**

Nam uehemens studii macie labor afficit artus / Et molem carnis, et quod cibus educat extra / Interior sibi sumit homo fomenta laboris.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.10, ll.69-71).

Pars 4, Liber 4, Rubrica 16: De saturitate crapula et ebrietate (fol.109ra)

Gualterius de castellione libro i. **Si bacco venerique vaces qui cetera subdis. / Subiuga venisti: periit delata vacatis / Libertas animi. / Rixas et bella moueri / Imperat et suadet: rationis vile sepulchrum / Ebrietas.**

Si Bacho Venerique uacas, qui cetera subdis, / Sub iuga uenisti: periit delira uacantis / Libertas animi. Veneris flagrante camino / Mens hebet interius. rixas et bella moueri / Imperat et suadet rationis uile sepulchrum / Ebrietas. rigidos eneruant hec duo mores.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, pp.15-16, ll.167-172).

Pars 4, Liber 5, Rubrica 10: De molestia et damno amoris venerei (fol.113va-vb)

Gualterius de castellione libro primo. **Non te emolliat intus / Prodigia luxuriae: nec fortia pectora frangat / Mentis morbus amor latebris et murmure gaudes. / Si bacho venerique vacces qui cetera subdis. / Subiuga venisti: periit delata vacantis. / Libertas animi veneris flagrante camino. / Mens habet interius rixas et bella moueri. / Imperat et suadet: rationis et vile sepulchrum. / Ebrietas rigidos eneruant hec duo mores.**

'Cetera quid moneam? sed non te emolliat intus / Prodigia luxuriae, nec fortia pectora frangat / Mentis morbus amor, latebris et murmure gaudens. / Si Bacho Venerique uacas, qui cetera subdis, / Sub iuga uenisti: periit delira uacantis / Libertas animi. Veneris flagrante camino / Mens hebet interius. rixas et bella moueri / Imperat et suadet rationis uile sepulchrum / Ebrietas. rigidos eneruant hec duo mores.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, pp.15-16, ll.164-172).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 1: De fortitudine animi (fol.117vb)

Gualterius de castellione libro 5. **Nulla rei nouitas peruertere fortia debet / Pectora: cum nulla teneatur lege fidelis / Esse homini fortuna diu.**<sup>1</sup> Libro 6. **Pregraue vulnus acerbo / Curatur ferro: grauis est medicina dolenti. / Asperior sanat grauiores potio morbos. / Naufragium que timens iactura sepe redemit / Nauta quod potuit: et dampnis dampna leuauit.**<sup>2</sup> **Animi est fortis contempnere mortem. / Non odisse tamen vitam: sed amare virorum est.**<sup>3</sup> Libro 9. **Degeneres animi pectusque ignobile: sumnum / Credunt esse bonum diurna viuere vita.**<sup>4</sup>

1. Nulla rei nouitas peruertere fortia debet / Pectora cum nulla teneatur lege fidelis / Esse homini Fortuna diu. spes unica uictis / Contra uictorem rursus sperare tryumphum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 5 (M.L. Colker ed., 1978, p.138, ll.394-397).

2. Narbazanes igitur, sceleri iam tempora nactus / Oportuna suo, ‘scio, rex, que dixero’ dixit / ‘Displicitura tibi, nec erit sentencia cordi / Hec mea grata tuo, sed pregraue uulnus acerbo / Curatur ferro. grauis est medicina dolenti. / Asperior sanat grauiores potio morbos, / Naufragiumque timens iactura sepe redemit / Nauita quod potuit et dampnis dampna leuauit.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, pp.163-4, ll.392-399).

3. Cur in perniciem palantes more bidentum / Irruimus? fortis animi est contempnere mortem, / Non odisse tamen uitam sed amare uirorum est.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, p.164, ll.412-414).

4. Degeneres animi pectusque ignobile sumnum / Credunt esse bonum diuturna uiuere uita.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, p.250, ll.557-558).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 5: De spe et desperatione (fol.120ra)

Gualterius de castellione libro 7. **Spes in dubiis semper comes optima rebus.**

Dispersi fugiunt alii uel quos metus urget / Vel spes in dubiis semper comes optima rebus.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 7 (M.L. Colker ed., 1978, p.181, ll.208-209).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 6: De magnanimitate et magnificentia et pusillanimitate (fol.120vb)

Gualterius de castellione libro i. **Parce humili facilis oranti: frange superbum.**<sup>1</sup> **Mansuesce rogatus.**<sup>2</sup> **Disce pius victis vincendis esse crudelis.**<sup>3</sup>

1. ‘Parce humili, facilis oranti frange superbum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.13, l.115).

2. Diuinos rimare apices, mansuesce rogatus, / Legibus insuda, ciuiliter argue sontes, / Vindictam differ donec pertranseat ira, / Nec meminisse uelis odii post uerbera. si sic / Vixeris, eternum extendes in secula nomen.’

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.16, ll.179-183).

3. Disce pius uictis, uincendis esse cruentus.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.24, l.341).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 7: De mansuetudine ira et furore (fol.122rb)

Gualterius de castellione libro i. **Mansuesce rogatus. / Uindictam differ donec pertranseat ira.**<sup>1</sup> Libro 10. et finali. **Immemor ira sui est: et quo rapit impetus illuc. / Ebria discurrit: et se sociosque flagellat.**<sup>2</sup>

1. Diuinos rimare apices, mansuesce rogatus, / Legibus insuda, ciuiliter argue sontes, / Vindictam differ donec pertranseat ira, / Nec meminisse uelis odii post uerbera. si sic / Vixeris, eternum extendes in secula nomen.'

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.16, ll.179-183).

2. Immemor Ira sui est et quo rapit impetus illuc / Ebria discurrit et se sociasque flagellat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 10 (M.L. Colker ed., 1978, p.255, ll.43-44).

Pars 5, Liber 1, Rubrica 8: De vindicta et clementia seu remissione proprie iniurie (fol.123rb)

Gualterius de castellione libro i. **Instabile est regnum quod non clementia firmat.**

Instabile est regnum quod non clementia firmat.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 1 (M.L. Colker ed., 1978, p.24, l.342).

Pars 5, Liber 2, Rubrica 3: De belli pressura periculo et euentu (fol.125vb)

Gualterius de castellione libro 2. **Non mediocris enim furor est exponere bellis. / Uno velle semel fortune cuncta sub ictu.**

Iamque superueniens Grecis equitatus ab horis, / Exilio comitante fugam, duce Tymode  
castris / Infertur Darii, regique salubre propinans / Consilium suadet ut, dum licet, axe  
citato / Obliquum retro uertat iter cursuque uolucri / Puluereo repetat spaciosos aequore  
campos, / At si degenerem pudeat retrocedere regem, / Conuerso ne forte gradu uertatur  
in omen / Triste suis, saltim gazas et pondera belli / Diuidat in partes, ut si fortuna, quod  
absit, / Fauerit Argolicis in primo Marte, supersit / Copia queque recens ruat in  
discrimina pubes: / Non mediocris enim furor est exponere bellis / Vno uelle semel  
fortunae cuncta sub ictu.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, pp.49-50, ll.272-285).

Pars 5, Liber 2, Rubrica 10: De ocio et perpessione bellici operis (fol.127rb)

Gualterius de castellione libro 2. **Delitie molles gladios et vulnus abhorrent.**

Cernitis inbellis auro fulgere cateruas, / Cernitis ut gemmis agmen muliebre choruscet: /  
Pretendit predae plus quam discriminis. aurum / Vincendum est ferro. tantum didicere  
minari / Deliciae molles, gladios et uulnus abhorrent.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, p.58, ll.457-461).

Pars 5, Liber 2, Rubrica 20: De audacia: timore: spe: et desperatione et magnanimitate bellatorum (fol.130rb)

Gualterius de castellione libro 4. **Spes sane resuscitat egrum / Agmen: et in vultu victoria visa sedere.**

Non magis a primo duri discrimine Martis / Hunc alacrem uidere sui. ueniente suorum / In medium Magno, spes sana resuscitat egrum / Agmen, et in uultu uictoria uisa sedere.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 4 (M.L. Colker ed., 1978, p.114, ll.522-525).

Pars 5, Liber 2, Rubrica 39: De cautelis tute recedendi ab hostibus sine conflictu et diuersis documentis artis bellice (fol.136rb)

Gualterius de castellione libro 2. **Gladio quam parcit in hostem: / Ipse sibi est hostis: vitamque prorogat hosti. / Derogat ille sue: non clementia bello. / Hostibus esse pium.**<sup>1</sup>  
Libro 7. **Tutior vt maneas hostis: nil est quod in hoste / Despicias: tute sit quem neglexeris ille / Fortior hoc ipso multoque valentior hostis.**<sup>2</sup>

1. Vincite iam uictos. gladio qui parcit in hostem, / Ipse sibi est hostis. uitam qui prorogat hosti, / Derogat ille suae. non est clementia bello / Hostibus esse pium. grauis est sibi dignaque cedi / Cedis parca manus. segnes incurrere mortem, / Dum pauitant, audent sed non occurrere morti.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, p.59, ll.470-475).

2. Tutior ut maneas hostis, nichil est quod in hoste / Despicias tuto. fit quem neglexeris ille / Fortior hoc ipso multoque ualentior hostis.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 7 (M.L. Colker ed., 1978, p.196, ll.513-515).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 1: De aduersitate et prosperitate (fol.137rb-va)

Gualterius de castellione libro 3. **Omnia cum quodam veniunt incommoda fructum.**<sup>1</sup> Libro 5. **Nunc aduersa pati: nunc exultare secundis / Nunc caput incuruare malis: nunc tollere sortis / Humane est.**<sup>2</sup> Libro 9. et penultimo. **Satius est non ascendere quam post / Ascensum regredi. melius non crescere quam post / Augmentum minui: grauius torquentur auari / Amissi memores quam delectentur habendo.**<sup>3</sup>

1. Hec Dario medicina mali. sic pene malorum / Omnia cum quodam uenient incommoda fructu.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 3 (M.L. Colker ed., 1978, p.77, ll.272-273).

2. Cumque repressisset queruli suspiria cordis, / Relliquis Macedum lacrimoso lumine spectans, / ‘Fortuitos’ inquit ‘tociens uariare tumultus, / Nunc aduersa pati, nunc exultare secundis, / Nunc caput incuruare malis, nunc tollere sortis / Humane est. humilem sic uidit Lydia Cresum.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 5 (M.L. Colker ed., 1978, pp.137-8, ll.384-389).

3. At Porus ‘quia queris,’ ait ‘respondeo tanta / Libertate tibi, quantam michi, Magne, dedisti / Querendo prius. ante malum certaminis huius / Nemo erat in terris quem posse resistere quemue / Censerem michi Marte parem uel mente, meamque / Vim noram et meritum, nondum tua fata tuasque / Expertus uires. sed quam me fortior essem, / Euentus belli docuit; tibi uero secundus / Non minimum felix uideor michi. ne tamen isto / Attollas animum casu quia uiceris. ipse / Exemplum tibi sum, qui cum fortissimus essem, / Fortius inueni. ne dixeris esse beatum / Qui quo crescat habet nisi quo decrescere possit / Non habeat. satius est non ascendere quam post / Ascensum regredi, melius non crescere quam post / Augmentum minui. grauius torquentur auari / Amissi memores quam delectentur habendo.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, pp.238-9, ll.298-314).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 2: De fortuitis ac fatalibus accidentibus aduersitatis vel prosperitatis  
(fol.138ra)

Gualterius de castellione libro 2. **Casus ruit improuisus in omnes.**

Spurius ille puer, regni moderamen adeptus, / Cuncta sibi cessura ratus, feroore iuuentae /  
Ducitur et casus ruit in prouisus in omnes, / Pugnandoque mori mauult quam cedere  
uictus, / Et iam spe uacuus animo lentescit inani, / Dampnorumque memor que Granicus  
intulit amnis, / Incipit afflictis partim diffidere rebus.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 2 (M.L. Colker ed., 1978, pp.52-53, ll.333-339).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 3: De mutabilitate et caducitate prosperitatis atque aduersitatis ex inopinatis casibus fortuitis aut fatalibus (fol.139ra)

Gualterius de castellione libro 8. **O quam difficili visu sors prouehit actus / Lubrica mortales: et quos ascendere fecit: / Quam facile euertit.<sup>1</sup> / Tam firmum nihil est cui non metus esse ruine / Possit ab inualido: quis nondum nauigat orbem: / Debeat occursum mortisque timere procellam.<sup>2</sup> / Fortunam memor esto tuam: quia ludicra semper / Et leuis est: nunquam potest in vita teneri<sup>3</sup> / Caduca. / Sunt bona fortune: stabilisque ignara fauoris.<sup>4</sup>**

1. O quam difficili nisu sors prouehit actus / Lubrica mortales, et quos ascendere fecit, / Quam facile euertit! magno fortuna labore / Fecerat excelsum media de gente Phylotam.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.214, ll.323-326).

2. Ferrum, cuncta domans atque omni durius ere, / Consumit rubigo uorax. sub cardine Phebi / Tam firmum nichil est cui non metus esse ruinae / Possit ab inualido. quis non, dum nauigat orbem, / Debeat occursum mortisque timere procellam?

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.217, ll.399-403).

3. ‘Proinde manu pressa digitisque tenere recuruis / Fortunam memor esto tuam, quia lubrica semper / Et leuis est numquamque potest inuita teneri.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 8 (M.L. Colker ed., 1978, p.220, ll.448–50).

4. Proinde tui cursus frenum moderare. caduca / Sunt bona fortunae stabilisque ignara fauoris.’

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, p.239, ll.315-316).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 4: De naturali mutabilitate status cuiuscunque (fol.139va)

Gualterius de castellione libro 9. et penultimo. **Res ita se prebent vt nulli phas sit in vno / Semper stare gradu.**

secunde / Res ita se prebent ut nulli fas sit in uno / Semper stare gradu. sed quis spondere  
deorum / Audeat hoc, Macedium diuturnum te fore sydus?

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 9 (M.L. Colker ed., 1978, p.248, ll.526-529).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 8: De miseria et miseris (fol.141vb)

Gualterius de castellione libro 6. **Sors miseri querula est.**

Sors miseri querula est, felicis uero superbus / Est status, et tumidae nulla est compassio  
mentis.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, p.157, ll.237-238).

Pars 5, Liber 3, Rubrica 11: De diuina consolatione miserabilium personarum (fol.142vb)

Gualterius de castellione libro 6. **Sors miseri querula est: felicis vero superbus / Est status: et tumidi nulla est compassio mentis.**

Sors miseri querula est, felicis uero superbus / Est status, et tumidae nulla est compassio  
mentis.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis*, 6 (M.L. Colker ed., 1978, p.157, ll.237-238).